



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs

Escobar y Mendoza, Antonio de

Lvgdvni, 1659

IV. De legum materia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41066

CAPVT IV.

De Legum Materia.

28. **Q**uidnam Legi Materiam præstat? Cum Leges circa humanas actiones versentur; præcipiendo bonas, malas prohibendo, Actiones humanæ Legum materia sunt.

29. Num interni actus possunt præcipi, aut prohiberi? Possunt aliqua ratione; non ex se præcisè, quia merè interna soli Deo referuntur: sed quatenus pertinent ad actus externi complementum. v.g. Ecclesia præcipiens Canonici officij recitationem, simul etiam præcipit attentionem, quæ est actus internus; quia attentio est omnino ad orationem necessaria. Similiter aliquem actum externum prohibens, simul etiam prohibet internum illi respondentem. v.g. cum furtum prohibetur, etiam furandi voluntas refecatur.

CAPVT V.

De Subiecto Legum.

30. **Q**uidnam Legum Subiectum assignas? Legis Subiectum est homo subditus iuxta Legis tenorem. Colligo hinc Infideles, aut Cathecumenos Legibus Ecclesiasticis minimè adstringi, quia non sunt subditi Ecclesiæ. Pueros autem ratione vtentes illicari profus, ac consequenter ad confessionem annuam, ad Missæ die festo auditionem teneri.

31. Num Regina coniux Principis, qui condidit Legem, eidem obseruanda adicantur? Ex natura rei obligatur; nisi exempta sit, vt re ipsa eximi assolet, à vi scilicet coactiua.

32. Tenetur Princeps suorum prædecessorum Leges obseruare? Præciso scandalo non tenetur; quia à sibi superiore lata non sunt.

33. An ad obseruationem Legis à se ipso lata teneatur superi? Propriè loquendo ex vi coactiua non obligatur; quia lex obligat subditos, nullus autem sibi subditus est, nec potestatem ac iurisdictionem coactiuam exerit in se ipsum. v.g. si Papa Clericum percutiat haud excommunicationis vulnere afficitur. Loquamur de vi non coactiua, sed directiua
fundata